



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1646**

De Pentecoste. XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40233**

lib. 6. cap. 105. Oratio Dominicæ alia est ab Oratione Missæ, quæ habetur in Sacramentario Greg.

## De Pentecoste.

## CAP. XVIII.

**H**abet in Matutino tres Psalmos cum totidem Lectionibus, ut in Paschate, Ordo Romanus, & ex Greg. VII. de Consecrat. Dist. 5. cap. In die. ubi asseritur fieri de antiquo more, quamvis apud Romanos fuisse suo tempore Festum nouem Lectionum scribat Amalarius Gregorio longè antiquior in Prologo de Ord. Antiph. contra Ordinem Romanum Amalario antiquiorem.

2 Restitutus est ergo ritus à Gregorio VII. vel firmatus Decreto: quo ritu idem significatur, quod diximus supra in Paschate cap. 14. num. 1. exceptis proprijs causis ad resurrectionem pertinentibus. Antiphonas, quæ in hac die dicuntur in Nocturno, recenset Amalarius lib. 4. de Div. Offic. cap. 27. ut demonstratur, inquit, vnum opus esse in potentia miraculorum S. Trinitatis, tum in resurrectione Filij, tum in aduentu Spiritus sancti. Tres Psalmos dici ob Baptismum, qui datur in Pentecoste in nomine Trinitatis, tradit Gemma lib. 3. cap. 144. Antiphonarum ad Laudes, quæ apud nos, meminit Amal. de Ord. Antiph. cap. 57. Antiphona quarta non videtur aliquibus congruere Festo: sed recolant, quod in Genesi dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas. De Hymnis, & eorum fine, vide sup. Sect. 5. cap. 6. num. 5. & 12. pag. 67. 72.

3 Ad horam Tertiam dicitur Hymnus Veni Creator: quia hora Tertia

super Apostolos Paraclerus descendit. Et licet quotidie ad eandem Horam inuocemus eundem Spiritum, Nunc sancte nobis Spiritus; tamen conuenit hac die, ut Hymno longiori & proprio Festi eum inuocemus, & ad nos inuitemus.

4 Per Octauam leguntur Euangelia cum Homilijs, quæ apud Duran. habentur lib. 6. a cap. 110. & deinceps: nam tempore Ruperti alia legebantur in Quatuor Temporibus Pentecostes, utiple scribit lib. 10. cap. 27.

5 De Feria quarta, sexta & Sabbato Quatuor Temporum, quæ sunt Tempora æstiuæ, diximus Tomo prior. In his autem ad Horas non flectimus genua, ex Ord. Rom. quia tempus adhuc Paschale est; & ideo dicitur etiam Te Deum.

## De Dominica Trinitatis.

## CAP. XIX.

**P**ræter ea, quæ diximus Tom. 1. par. 4. tit. 12. pag. 280. de origine Festi sanctissimæ Trinitatis, inuenies apud S. Augustinū Tom. 10. nonnullos Sermones in eodem Festo habitos, seu, quod puto verius, eidem Festo à Collectoribus assignatos: nam in ijs ne verbum quidem habetur, quo Festum hoc tunc temporis indicetur. Atqui post Alexandrum III. in Romana Ecclesia decretum est hoc Festum, cap. Quoniam. de Ferijs.

1 Officium, quod hodie recitatur, antiquum appellatur in Breuiario edito Venetijs 1550. & puto esse illud, quod à sancto Stephano Leodiensi compositum fuisse scribunt Duran. l. 6. c. 114. & Trithemius in Chron. Hirsaugiensi. Aliud Officium ego legi à Romana Ecclesia usurpatū, à Io. Pechano

R 2 Ar.